

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XXXXIII. De excretionibus generatim.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

naturam induentia, illas antrorsum trahunt, omnesque solidæ corporis partes gravitatem specificam maiorem acquirunt, humores imminuuntur, lentescunt & acres fiunt, viresque labescunt, febricula lenta accenditur, ac denique terminus aliquis adest, quo humoribus movendis, solidisque extendendis nutriendisque cordis vires haud sufficiunt, ac ratio, cur homini tandem moriendum sit, apparet. Paucissimi vero ætatem decrepitam attingunt; quia in plerisque, ob innumerabiles morborum causas, temerariasque earum admissiones, mors per se tarda gradus corripit. De corporis humani incremento & decremento alternantibus vid. l'Histoire de l'Academie Royale des Sciences 1725. p. 21.

CAP. XXXIII.

De excretionibus generatim.

§. I.

Excretionum necessitas.

Cum ipse sanguis alique humores non quantitate solum peccare possunt, sed etiam particulae crudiores chylum subeunt, a pluribus secretionibus impuritates remanent, ipsoque sanguinis circuitu crasis eius mutatur, necesse est, ut natura motibus excernentibus, quotidianis, vel periodicis, superflua, inutilia atque noxia, per vias cuiuslibet horum speciei accommodatissimas, ex corpore eliminet, & sic eius sanitati atque

durationi prospiciat. Efficacia hæc naturæ molimina excretionum nomine veniunt.

§. II.

Secretionibus atque excretionibus ad ^{Earum} valetudinem secundam tuendam adeo ne- ^{adumen-} cessariis rectus partium solidarum fluida- ^{ta.} rumque status, cohæsiō, elasticitas, vis, mixtio motusque conveniens admodum patrocinantur; clarum enim est, illas ad unam omnes augeri, quando humorum legitima crasi gaudentium circuitus a vi partium solidarum viva moderate intenditur; ut ad secretionum atque excretionum organa illi sæpius profundiusque impellantur. Sic etiam systematis nervosi, ad quasvis actiones adeo necessarii, rectas condiciones viresque permultum ad faustos actionum naturalium successus conferre, extra dubitationis aleam positum est; liber enim fluidi nervei ad partes per nervos illæsos influxus illarum quasi anima ac vita est.

§. III.

Transpirationem, & quodammodo alvi ^{Specialia.} excretionem atque diuresin, activus corporis motus in specie iuvat. Motus succussatorius v. c. equitatio, vectio, excretionibus particulares e. g. alvinas, diuresin, menstrua ac hæmorrhoides promovent. Ab electricitate transpirationem alvum hæmorrhoidesque liberiores factas esse, meminimus.

§. III.

*Impedi-
menta.*

Quidquid vero humorum crasin corrumpit, statum partium solidarum naturalem, elasticitatem actionesque turbat, vias præcludit, humorumque ad organa fecerentia atque excernentia impulsum impedit aut intercipit, illud actionibus naturalibus, adeoque etiam sanitati, inimicum est.

CAP. XXXIII.

De partibus genitalibus mulierum.

§. I.

Cunus.

Ad mulierum partes genitales externas, seu cunnum, mons Veneris, labia duo, nymphæ duæ, præputium clitoridis, vel superior nympharum coniunctio, rimâ, vel orificium vaginæ, frenulum & fossa navicularis, in cunni parte inferiore prope perineum, pertinent. Mons Veneris & labia ex integumentis communibus facta, a substrata pinguedine in iunioribus, ac sanis tumida superius elatiora, inferius depressiora, atque in adultis pilis obsita sunt. Nymphæ in virginibus minores, & rubeæ, in mulieribus maiores pendulæ & sublividæ, crenatæ, glandulis sebaceis, & papillis nerveis præditæ sunt. Labia versus perineum frenulum, seu membranam tenuem, femilarem, ante vaginæ orificium constituunt, pone quod, in vaginæ introitu